DISSERTATIONE INAVGVRALI,

Differentias iuris

Romani & Germanici

IN

HAGENSTOLZIATV, EXVLE

IN GERMANIA,

LATII PARTV L. IVLIAE ET PAPIAE POPPAEAE,

PRAESIDE

IOAN. PETR. DE LVDEWIG,

FRIDERICIANAE PRORECTORE ET CANCELLARIO,
CONSILIARIO INTIMO ET IN REGIMINE DVCATVS MAGDEBVRGICI,
DOMINO IN BENDORF, PREZ ET GATTERSTED,

EX LATII ET GERMANIAE ANTIQVITATIBVS,

ERVIT RESPONDITQVE,

AD CAPESSENDA DOCTORIS PRIVILEGIA,

M. VALENTINVS GRAEFE,

FRANCOHVSA THVRINGVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



H. L. Q. S. DIE XXV. NOVEMBR. CIƆIƆCCXXVII.

HALAE VENEDORVM,

Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ. Typographi.

Digitized by Google

Differentiae iuris
Romani & Germanici
IN
POENA HAGENSTOLZIATVS

PRAEFATIO.

ILluſerunt patriae iuriſprudentiae plures auctores aenigmate HAGENSTOLZIATVS. Quaſi hoc nomine noſtri maiores cohibuerint, VIGINTI QVINQVE annorum ſpatio, ſeriorem COELIBATVM. Poena propoſita hac; ut VIOLATORVM bona, poſt obitum, cederent nonniſi FISCO principali. HAGENSTOLZIATVS deſinitio.

§. II. Faciliores in eo credendo fuere omnes fere iureconſulti. Idque ideo, ut ita, nouo riuulo, irrigari poſſent principales theſauri, Fabula.

Digitized by Google

pro quorum illi incrementis illi nauiter & olim ſoliciti fuere & etiamnunc acriter ſolent decertare atque ſic peſſundare ciuium ſuorum liberta-tem.

Teſtatiſſima.

§. III. Tam altas etiam radices egit haec fabula; ut HAGENSTOLZIATVS mulctam tantum non adſcriberent auctores, parum ſani, numeris REGALIVM. Quorum claſſes & partus, quo magis uoluuntur hodie, eo maiora ſubinde capiunt incrementa, cum pernicie ciuium & ſubditorum.

Inconcinna Germaniae.

§. IV. Illud igitur mihi agendum eſt ut, nunc barbarum hoc monſtrum argutiis & rationibus confodiam atque e patria republica exturbem. Certiſſimus, Germanorum moribus, indoli, genio huius poenae cauſas omnino eſſe aduerſas. Vt ipſa quoque

que lex nobis, omni aeuo, inconcinna fuiſſe, uideatur.

§. V. Contra LATIO illla propria eſt. Vbi fugit iuuentus connubia, uagae libidinis cupidiſſima. Vt adeo opus eſſet legislatore, qui cum cohiberet coelibatum; tum matrimonia commendaret adoleſcentibus, nunc praemiis trium liberorum iterumque poenis orborum; in L. IVLIA & PAPIA POPPAEA definitis. Quam, ut ſolet, docto & amplo nuper commentario auxit illuſtrauitque HEINECCIVS, iureconſultus litteratiſſimus. Quem, honeſtiſſimis rationibus & codicillis regalibus, in GERMANIAM e BELGIO reuocatum eſſe reductumque; de illo mecum omnino cum bonae litterae gaudebunt, tum humanior omnis iurisprudentia. *Latio propria.*

Argumenta ex utriusque DIFFERENTIIS.

§. VI. Vt autem uere conſtet, quod adfirmamus, in ficto HAGENSTOLZIATVS crimine: docebimus hoc ipſum per utriusque iuris ROMANI & GERMANICI, nobis ſolennes & ſingulares, DIFFERENTIAS. DEI NVMEN adſit ſcribendis.

DIFFERENTIA I.

Steriles uteri Romanis; *foecundi* Germanis.

Romani infoecundi.

VTi ITALIA uniuerſa; ſic ROMA maxime, aerem haurit, cum *ſolis* aeſtu, tum *ſubterraneo igne* calentem feruentemque. Quapropter connubia uel parum foecunda uel prorſus *ſterilia* ſunt (1). Vt ideo cauſae ibidem; HAGENSTOLZIATVM interdicendi ac inuitandi coelibes ad matrimonia ineunda & ſobolem procreandam (2). Contra GERMANIA, ſub coeli climate, ualde temperato, *foecundos* omnino *uteros* habet, quae,

Germani foeciferi.

Digitized by Google

quae, incolarum numeris & multitudine, laborat magis; quam paucitate (3). Vt eidem fuerit olim opus emigrationibus &, ſaepius repetita, coloniarum deductione in alias orbis prouincias. Tantum abeſt, legibus ibi unquam locum cauſamque fuiſſe, ad procurandam ſobolis multitudinem & poenis inhibendum HAGENSTOLZIATVM (4).

(1) Eſt haec doctrina *phyſicorum:* quod *calida* climata uteros claudant; contra aperiant & foecundent *temperata* magis & frigeſcentia. Vſus illud docet &, euentorum cuſtos, hiſtoria. Nam ideo *ſeptentrionales* regiones, inſtar *gentium uaginae*, habitae; quod ex illis ſe innumeri populi effuderunt in oras *meridionales*. De *Italia* utrumque eſt teſtatiſſimum. Nam, poſt *ſolis* feruorem, illud etiam credunt rerum naturalium magiſtri: quod ſubterranea *Italia* ſulphure & igne ſcateat, unde iſtis oris immineat olim *combuſtio*. Si quidem euenerit illud, quod in VESVVIO experimur; ut compreſſus ignis erumpat in flammas abſumatque illud uniuerſum. Quo STOICI cum ſua *combuſtione orbis* etiam uidentur reſpexiſſe. Praeterea in *Italiam* emigrauerunt populi innumeri; ex Italia contra aut pauci aut nulli. Nam, ut *Troianas* fabulas ſuo relinquam loco, ex ſola GER- **Italiae calor, & hominum penuria.**

MANIA in ITALIAM ſe effuderunt WESTGOTHI; HERVLI; OSTGOTHI; LONGOBARDI; FRANCI; demum MAIORES noſtri; ut hodieque Italiae nobilioris ordinis familiae in ſinu gaudeant; *Germanicae originis* ſuae meminiſſe.

L. IVLIAE PAPIAE POPPAEAE proſcenia & poſtſcenia.

(2) Occupauit induſtriam noſtram *litteratiſſimus* HEINECCIVS, uir muſis noſtris amiciſſimus. Nam in doctiſſimi *commentarii* ad L. *Iuliam* & *Papiam Poppaeam lib. I. c. 2. §. 7.* ex teſtimoniis ueterum docet: quod Romani, inde ab origine urbis, ad OCTAVII AVGVSTI tempora leges tulerint urſerintque de procuranda in republica πολυτεκνίᾳ & liberorum multitudine. Inde *Romuli* cautio; ne quis *coniugium* aut *ſobolem* negligat (*): inde *trium liberorum* priuilegia regum ſucceſſorum: inde *coelibatus mulcta* & *aes* illud *uxorium*, regibus exactis: inde pater *plurium liberorum* praelatus in honoribus & dignitatibus capiendis ἀγάμῳ aut improli: inde praemia a I. *Caeſare* extra ordinem ſtatuta parentibus ob πολυπαιδίαν: inde, ob eandem cauſam, uenia indulta in delictis: inde demum OCTAVII AVGVSTI mandatum iterum iterumque repetitum de *coelibum poenis* & *praemiis* connubialibus ſtatuendis plurium liberorum; adprobatum tandem PAPIO & POPPAEO *conſulibus*, firmatum cultumque deinceps populo Romano usque dum ſuperſtitio chriſtianorum hanc legem IVLIAM, PAPIAM, POPPAEAM expungeret, opinione ſingularis pietatis ac pudicitiae ex uoto *perpetui coelibatus*.

Germanorum ſtudia πολυτεκνίας.

(3) Germanos, natura duce, tum demum ſe felices dixiſſe, conſtat; ſi *plurium liberorum* fuerint parentes. Ap-

(*) Haeret quodammodo doctiſſimus uir quomodo DIONEM qui *Lib. I.* 52. hoc Romulo tribuit, tueatur. Ego certe putauerim, reſpexiſſe eundem eo, quod *Romulus* prohibuerit *infanticidia*, eousque impunia, uti teſtis eſt DIONYSIVS *Halicarnaſſenſis lib. II. p.* 88. ἀποκτιννύναι δὲ μηδὲν τῶν γινομένων νεώτερον, cetera.

poſite

poſite TACITVS *de M. G. c. 20. quanto* PLVS PROPINQVORVM; *quo* MAIOR *affinium* (liberorum) *numerus, tanto* GRATIOSIOR *ſenectus. Nec ulla* ORBITATIS *pretia.* Neque enim aliter intelligi debet Romanus ſcriptor, quam ita: primam curam apud Germanos plurium *liberorum* fuiſſe; alteram demum *propinquorum* & *adfinium.* Et alibi IDEM *cap. 17. numerum* LIBERORVM FINIRE *aut quenquam ex agnatis* (gnatis) *necare, flagitium habetur.* Deinde numeroſa proles non ſolum in uotis optatisque fuit Germanorum: uerum etiam expleta haec abunde re ipſa. Iuere enim FAMILIAE ſingulares, ob liberorum numeros, non ſolum in GENTES; ſed etiam in POPVLOS multos. Saepe mecum cogitaui, qui TACITVS conciliari poſſit cum TACITO in hoc eodem argumento? Nam *cap. 2.* dicit *Germanos* omnes *indigenas minimeque aliarum* GENTIVM *aduentibus & HOSPITIIS mixtos.* Et *cap. 4.* pergit: *ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos,* NVLLIS *aliis* ALIARVM NATIONVM *connubiis infectos,* PROPRIAM *& ſinceram &* TANTVM SVI SIMILEM *gentem extitiſſe arbitrantur. Vnde* HABITVS *quoque corporum* IDEM *omnibus; truces & caerulei oculi; rutilae comae; magna corpora & tantum ad impetum ualida,* cetera. Sed idem tamen *cap. 28.* & ſequentibus dilabitur in *tot gentium* Germanicarum numeros. Illud igitur, puto, dicendum eſſe; *gentium* uerbo hic tantum intelligendas *familias,* unius eiusdemque ſtirpis; nominis; teſſerae; moris; ritus; ſanguinis; foederis ſocias. Iuxta illa, quae *cap. 21.* refert: *ſuſcipere inimicitias ſeu patris ſeu propinqui [dero ſtamms und nahmens-vettern] quam amicitias neceſſe eſt.* Quae eadem etiam cauſa, quare, quod *cap. XX.* habet, nullus teſtamento locus; uerum, inſtar SVORVM HEREDVM, PROPINqui

QVI [*die ſtamms und geſchlechtsvettern*]; ne his aliquid detrahi poſſet ultima uoluntate. Et ſane etiam poſt Taciti aetatem in tantam multitudinem excreuere GERMANI, ut EVROPAE uniuerſae prouinciis ſufficerent uel colendis uel regnandis. Nam ſubiugarunt ITALIAM *Gothi, Heruli, Longobardi;* GALLIAM *Franci, Burgundi, Gothi;* HISPANIAM *Sueui, Vandali, Silingi, Alani, Gothi;* BRITANNIAM *Saxones;* imo SICILIAM extremam *Normanni* & *Sueui*, omnes Germani. Quod magis eſt, hodieque regitur Europa uniuerſa a GERMANIS iisdem. Nam HISPANIAE reges dederunt *Auſtriaci;* BRITANNIAE, *Brunſuicenſes;* PORVSSIAE, *Brandeburgici;* POLONIAE, *Saxones;* DANIAE Oldenburgici & *Holſati;* SVECIAE, *Haſſi;* HVNGARIAE, BOHEMIAE; SICILIAE utrique imo ITALIÆ imperioque ROMANO uniuerſo AVSTRIACI, qua gente maior non occurrit in omnis aeui ac orbis memoria. Taceo NOBILES in Germania *familias* hodieque plurimas ſupereſſe, quae *mille* annorum &, quod excedit, habent aetatem, quibus fata polliceri uidentur aeternitatem, in tanta peregrinarum gentium familiarumque mortalitate. Eſt igitur ad extremum in hoc πολυτεκνίας ſtudio ueriſſimum TACITI noſtri *cap. 19.* proditum iudicium: *quod plus* in Germania *boni mores ualeant* aduerſus HAGENSTOLZIATVM: quam apud Romanos leges de *maritandis ordinibus;* IVLIA, PAPIA, POPPÆA.

Mores praeſtant legibus. (4) Sponte igitur concurrentibus ad connubia, non opus fuit LEGVM aliquo ſtimulo aut calcari. Natura; mores; clima; coelum; terra; ratio; pietas; pudor; numina coniugalia, TACITO cap. 18. 19. deſcripta, ſatis fuere ad φιλοτεκνίαν & ſtudia plurium liberorum.

DIFFE.

DIFFERENTIA II.

AMOR Romanis *uagus;* Germanis *ſincerus.*

ROmani abhorruerant a foedere connubiali, VAGAE LIBIDINIS amore, ut capiſtro ac domitore omnino opus eſſet, ad illud rite ſubeundum (5): GERMANOS ab ultima labe cohibuit ſola ratio & PVDOR commendauitque primum, damnato HAGENSTOLZIATV (6).

Romanorum uaga libido.

Germanorum ſe uera connubia.

(5) *Vagae libidinis* licentiam *adoleſcentes* & *iuuenes Romanos* in *coelibatu* & HAGENSTOLZIATV retinuiſſe illisque reddidiſſe matrimonia inuiſa; illud ipſum eſt, de quo querelas mouit ipſe dein AVGVSTVS, *L. Papiae Poppaeae* auctor, apud DIONEM *Lib. LVI.* cuius loci meminit quoque *nouiſſimus* ad hanc legem commentator *lib. I. c. 2. §. 12.* Sed illuſtrant eundem egregie poetae comici PLAVTVS; TERENTIVS; PETRONIVS & illi triumuiri, libidinis & laſciuiae iuuenilis doctores egregii, CATVLLVS; TIBVLLVS; PROPERTIVS aliique obſcoenorum uerborum rerumque turpiſſimarum interpretes. Qui, inter alia, cauſas produnt; quare dulcius ſit, corrumpere & corrumpi, ut lubet, quam fidei unius mancipari. Ipſi doctores CHRISTIANI, ex quo dogmata aeternae ſalutis expoſuere ROMANIS, nunc ore iterumque litteris, ad hunc inprimis lapidem offenderunt. Licet enim CHRISTI PLACITA probarent,

Romanorum *libido* nefaria.

Digitized by Google

eierato paganiſmo, plures eorundem; illud tamen ſtomachus mollis & lutulentus difficilius concoxit: *Chriſti inſtituta bella* indicere, animi *libidini*; *adulterum* illa habere non, qui *corrumperet* alterius thorum, ſed qui *adpeteret* tantum; nullum *ſcortillis* aut *meretricibus* præſidium in quaeſtu aut concubinatu conuentionali; *diuortia* & repudia indulgere, idem eſſe, quam *moechiſſare*; fidem *coniugalem* eam religionem habere, quam CHRISTVS requirat ab eccleſia; non *turpe* eſſe, adoleſcentem *ſcortari*, ſed aeterno cruciatu dignum, cetera. Quapropter gentium ille doctor PAVLVS & reliqui ſcriptores diuini in hac ἐπανορθώσει fuere effuſi maximopere. In quorum numero ſunt TERTVLLIANVS; AVGVSTINVS de *ciuitate* DEI; LACTANTIVS; ARNOBIVS; MACROBIVS; MINVTIVS *Felix* aliique plures, quos recenſent hiſtoriae litterariae ſcriptores. Vnde facile eſt ad intelligendum; grauiſſimas cauſas fuiſſe *Romanis*, ad cohibendum iuſto SERIOREM COELIBATVM & imperandum matrimonium & ſtudia plurium liberorum.

***Germanorum* amor non VVLGIVAGVS.**

(6) De *Germanis* inimiciſſimorum etiam ſcriptorum teſtimonia, a partium ſtudio alieniſſima; quod a *uulgiuaga libidine* & *meretricio* amore fuerint alieniſſimi. Loquatur iterum TACITVS de *M. G. cap. 19. Publicatae* PVDICITIAE *nulla* VENIA. *Non* FORMA; *non* AETATE; *non* OPIBVS *maritum inuenit. Nemo illic* VITIA (adoleſcentem ſcortari) *ridet. Nec corrumpere* (uirgines & thoros alienos) *& corrumpi, ſeculum* (mos populi ac orbis) *uocatur. Sic* VNVM *accipiunt* MARITVM, *quomodo unum corpus unamque uitam* (quia matrimonia indimiſſibilia colunt). *Ne ulla* COGITATIO *ultra; ne longior* CVPIDITAS; *ne tanquam maritum, ſed tanquam* MATRIMONIVM *ament.* Quodſi uerum eſt, Germanorum non ſolum mores

pudici,

pudici; ſed integri quoque ſenſus & animi, nulla, ne cupidine quidem aliena, infecti. Quapropter *cap. 18.* demum hoc iudicio dimittit Germanos, quod *pudor* & *fides* connubialis ſit tantum non illis propria. *Seuera* enim, inquit, *illic matrimonia nec ullam morum* (ethicae & iurisprudentiae) *partem magis laudaueris. Nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt. Exceptis admodum paucis, qui non* LIBIDINE; *ſed ob* NOBILITATEM *plurimis nuptiis ambiuntur.* Porro *cap. 19.* PAVCISSIMA, *in tam numeroſa gente,* ADVLTERIA. *Quorum poena praeſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus* nudatam, *coram* PROPINQVIS (ut in ruborem adducatur coram his, qui alias egerant illius patrocinium & tutelam) EXPELLIT *domo maritus ac per omnem uicum uerbere agit.* Neque properatae apud *Germanos* nuptiae, uti Latii puellae non integrae creditae, niſi *duodecennes*, quam ζηλοτυπίαν expoſuit PRAESES in opuſculo de *aetate legitima puberum & minorum cap. I. §. 26. p. 29.* uerum SERA *ibi iuuenum uenus. Eoque inexhauſta pubertas. Nec uirgines feſtinantur,* quae uerba c. 20. Idem antea CAESAR ſcripſit de *bello Gall. lib. VI. c. 21. qui diutiſſime impuberes* (integrae & innuptae) *permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem. Hac* ALI *ſtaturam; ali uires;* NERVOS*que confirmari, putant. Intra annum uero XX.* FEMINAE *notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus.* Quod autem haerent auctores, qui conciliari poſſit *pudor* & *caſtimonia Germanorum* cum membrorum, iuxta quae uiri & foeminae dicimur, nuditate? illud fit praeter rem. Vti enim de primo hactenus: ſic de ultimo CAESAR *lib. VI. de B. G. c. 21.* pudendorum *nulla occultatio. Quod & promiſcue in fluminibus perluuntur & pellibus utuntur, magna corporis parte* NVDA. Et TACITVS *c. 17. Cetera* INTECTI *totos*

Digitized by Google

dies iuxta focum atque ignem agunt. Succinit MELA *lib. III. c. 3. maximo frigore* NVDI *agunt &* LONGISSIMA *apud eos* PVERITIA. Ceterum uti uulgi ſermone dicitur: nitimur in *tectum* aut *uetitum;* deinde *uel* trunci *deformiſſimi* adornantur pulchrarum *ueſtium* inuolucris & offuciis; praeterea, in nudo corpore, menſtruae ſordes membraque nunc ſtercoroſa, nunc ſpurca, ſqualida, lutulenta, horrida plurimum adſpectu, niſi condideris, unxeris, fucaueris. Ita crediderim firmiter, ad libidinem excitandam plus conferre ueſtium noſtrarum laruas, quam caluitium & nuditatem Germanorum. Nam mores Germanorum alieniſſimi fuerunt a *uulgiuago* amore; neſciueruntque illi alium extinguendae libidinis modum, quam legitimum, ideſt, ſeueris matrimoniis conſtrictum. Quapropter poena olim nulla opus aduerſus HAGENSTOLZIATVM. Nam Germanorum uenus aut friguit aut arſit amore nonniſi legitimo.

DIFFERENTIA III.

Orborum pretia apud *Romanos;* non *Germanos.*

Teſtamenta Romanis.

I*Vre Romano* COELIBVM & ORBORVM inde fortunae: quod quilibet ſibi faceret ab utriusque beneuolentia ſpem, heres ſcribi & ſucceſſor. Hinc certauerunt inuicem beneficiis & illecebris cognati & extranei; de COELIBE & ORBO amico habendo; cuius illi bona eapropter

pter tantum non deuorauerant ſpe, licet admodum fallaci (7). *Germanico iure* his offuciis locus nullus, ideo; quoniam ibi nefas, *teſtari de bonis.* Quae potius, neceſſitate *legis*, relinquenda fuere tantummodo *propinquis*, ſucceſſuris ſemper *inteſtato* (8). Quapropter HAGENSTOLZIVS, *teſtamento* omni prohibito in patria republica, neque lactare alios poterat neque alii bonis illius inhiare ideo, captando, benefaciendo, palpando, ſupplaudendo.

Germanis prohibita teſtamenta.

(7) Egregie uereque *coelibum* & *improlium* fortunas ac felicitatem PETRONIVS in *ſatyrico c. 106.* deſcribit. *Aut captantur aut captant in hac urbe* (heredipetae). *Nemo liberos tollit. Quia, qui* svos *heredes* (liberos) *habet, nec ad coenas nec ad ſpectacula admittitur* (inuitatur). *Qui uero nec* VXORES *unquam duxerunt nec proximas neceſſitudines habent* (id eſt liberos ex legis neceſſitate heredes ſcribendos) *ad ſummos honores perueniunt* (ab tot aliis honorati ſpe hac, ut ſcribentur heredes). Plenius idem repetit PLAVTVS *in milite glorioſo act. 3. ſcena 1. u. 101. Illi* (captatores & corui futurae hereditatis, ab improli

Cauſae felicitatis improlium Romae.

 expe-

Digitized by Google

expectandae) *inter ſe certant donis* (quibus hagenſtolzium proſequantur). *Ego* (coelebs aut improlis) *hoc muſſito mecum.* BONA MEA INHIANT; *certatim mittunt dona & munera.* Taceo innumera loca alia poetarum, deſcribentia idem, MARTIALIS; IVVENALIS aliorumque, quae laudant alii. Etiam AMMIANVS de ſuo adhuc tempore *lib. XIV. c. 19. Vile aeſtimatum, praeter* ORBOS & COELIBES. *Nec credi poſſe, qua obſequiorum diuerſitate culti ſint* HOMINES SINE LIBERIS. *Tanquam in capita mendicorum dominantur* ORBI, COELIBES, HAGENSTOLZII. Numinis inſtar culti ſunt homines improles, quod olim una formula; *Titius heres* eſto, poſſent amicos ſuos beatos reddere & opulentos. Contra SVI *heredes* quod accipiunt a parentibus, hoc *legi* tribuunt, non paternae beneuolentiae, quam ideo non ſtudent; officiorum cultu, demereri. Maluit ergo ciuis Romanus mori *improlis*, inter captatorum, uenatorum, *heredipetarum* perpetua bene merendi ſtudia; quam adſtringi pater ad liberos alendum & educandum. Quoniam gratum magis, benefieri ſibi; quam aliis benefacere. Accedit, cum fallere poſſent uoluntates ambulatoriae usque ad tumbam: oportuit captatores in beneficiis erga coelibes aut orbos perſeuerare. Ne forte illi teſtamenta uel omitterent uel migrarent uel ſcriberent ſecus.

Qui EXVLAVERINT olim apud Germanos 1) *teſtamenta?*

(8) Dici non poteſt, quam magno lumine perfundat patria iura illa ueritas: *Germanis* NEFAS *fuiſſe*, TESTARI *de ſuis* BONIS; *uerum, ex* LEGIS *neceſſitate*, DEFVNCTORVM *bona* PROPINQVIS *fuiſſe relinquenda; quibus illa eripi non potuere* VLTIMA, *ultimi poſſeſſoris, uoluntate atque aliis deferri.* Quod ſi ergo Germanus Germano *benefacere* uoluit; illud fieri debuerat inter *uiuos.* Si quid *mortis*

tis cauſa uel *promiſſum* uel *donatum*; illud omne fuerat irritum ipſoque iure nullum. Quid? quod magis eſt, non ſolum *teſtandi* libertate deſtituti olim Germani; ſed etiam *legandi* aliquid aut *onerandi* ullatenus, re aut facto, *inteſtatum* heredem. Imo nefas fuerat etiam *donare*, cogitatione cauſaque *mortis*. Docuimus hoc alibi ex inſtituto in opuſculo *de donationis barbaro adnexu, acceptatione differentia III. cap. 6.* eoque toto ac ſingulari.

2) legati

3) donationes mortis cauſa?

Nam clare ac definite TACITVS *cap. 20. heredes ſui cuique liberi & propinquii; nullum*, apud Germanos, *teſtamentum.* Deinde cauſa patet ſucceſſionis tantummodo inteſtatae, proditurque *cap. 21.* his uerbis: *Suſcipere inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt.* Vnde hodieque *ſucceſſoriis* pactis etiam adnexa eſſe ſolent illa, quae ad *auxilia mutua* obſtringunt. Vulgari ſermone dicimus: *die ganerbſchafften verbænden zur* ERBFOLGE *und gemeinem* BEYTRITT *zu ſchimpf und ernſt.*

Probatur 1) teſtimonio Taciti.

2) ratione, quod agnati omnes heredes SVI.

Quid? quod hodieque ideo *ganerbiorum* nulla ſucceſſio; niſi *extincta* integra domo, *ſtirpe*, gente. Ne, quod teſtamento non licet, *facto* fieri poſſet & ius quaeſitum auferri conſanguineis. Nam licet ciues *Latii*, patre mortuo aut liberis emancipatis, nullo *nexu* ſibi fuerant porro addicti: tamen perdurauerat ille in *agnatis* omnibus, ab eodem ſtipite prouenientibus, eiusdem *nominis* gentilitii & *teſſerae ſociis*. Quapropter hi omnes habiti in Germania inſtar illorum, qui *familiae* in Latio unius eiusdemque. Vt adeo deſtitui non poſſent hereditate, quemadmodum liberi, ſine cauſa, non poterant *exheredari* etiam iure Romano.

3) pactitia ſucceſſio nulla, niſi omnibus extinctis agnatis;

Quapropter *fratris* aut *germani* uerbis ſe compellare ſolent agnati omnes neque alia ideo ſucceſſionis iura, per *adoptionem*, quam ſub ſchemate *fraternitatis* (der

4) omnes agnati fratres.

erb-

5) *ganerbiatus* ex fraternitate.
6) *Speculatorum* auctoritate
a) Saxonis
b) Sueui.

erbverbrüderurg). His moribus, quibus *teſtamenta* horruerunt Germani, uſi ſunt illi etiam ſub FRANCICO & GERMANICO imperio. Huc pertinent uerba iuris SAXONICI *dem Sachſ. landr. lib. I. c. 34. ſine heredum ab inteſtato conſenſu, ultimae uoluntati nullus locus, uis nulla.* Quod repetitur *lib. I. artic. 52.* atque in *dem Weichbild art. 20. 65.* Concinit, ſimiae inſtar, SPECVLVM SVEVICVM cap. 307. 379. *hatt er erben, die verſprechen* (verwehren) *es;* ſi quidem *donauerit* mortis cauſa; *legauerit;* fuerit *teſtatus.* Et licet inter bona *auita* atque noue *acquiſita* diſcrimen fuerit hoc; quod *ultima donari* potuerint inter uiuos; non *prima: utraque* tamen nefas fuerat donare, *mortis* cauſa; legare; relinquere teſtamento. Quapropter

7) ritu uetuſto *deſs Vorrittes.*

ne quidem noue acquiſitorum (*deß errungenen und erworbenen gutes*) ulla donatio fuerat rata, niſi donator ſpecimen edidiſſet *rectae* ac *integrae* ualetudinis uel EQVITANDO (durch den Vorritt eines Hängſtpferdes) vel DIGLADIANDO (durch Zuckung eines Schwerdes, uel ARANDO (durch Pflügung eines Morgen Landes)/ ne quid *mortis* cogitatione aut per *ultimam* uoluntatem, patrio iure, prorſus illicitam, crederetur feciſſe & ita orbaſſe propinquos hereditate debita. Quorſum loca pertinent in dem Sächſ. Weichbild *art. 20. n. 30.* atque *art. 65.* quam eandem crambem, more ſolito, recoquit Schwab. Landr. *cap. 379.* Quod magis eſt, anno de-

8) Papae 1377. *decreto*, ut *teſtamenta* admitterent *Germani.*

mum CIƆ CCCLXXVII. papa Romanus GREGORIVS XI. inuectiuam ideo ſcripſit Germanis: *ne*, TESTAMENTIS *improbatis, improbarent quoque* LEGATA *ad pias cauſas.* CHRISTI *enim praecepto* (Matth. 25.) *non eſſe obuiam eundum, qui benefacere iubeat* PAVPERIBVS, *non diſtinguendo; utrum hoc fiat* MORTIS *cauſa an inter* VIVOS; cetera. Vnde omnino dicendum eſt, ſeculo adhuc XIV. apud Germanos fuiſſe

fuiſſe illicita teſtamenta. Neque eſt, quod *exempla* noſtrae ſententiae opponas. Nam ſucceſſu temporis PRINCIPES id ſibi ſumpſerunt; *ut facultatem* TESTANDI *indulgerent aliquibus, inſtar* PRIVILEGII, *per principales codicillos.* Quae inſtituta eſſe ſolent in SLESVICENSI etiam ducatu: *ne quis teſtamentum condat aut ualeat conditum, niſi ex indulgentia principis ſingulari.* Licet, ante aliquot luſtra, illud quoque urſerint ordines prouinciales; ut poſt cuique ciui eſſet poteſtas & facultas diſponendi de re ſua teſtamento. Quod ſi ergo, ut hactenus uidimus, HAGENSTOLZII *teſtari* non potuere de *bonis*, omnis cauſa ceſſat *captationis* eorundem, neque ſpes ulla *hereditatis*, ex *coelibis* aut *orbi* beneuolentia ultimae uoluntatis. Id eſt, quod TACITVS *cap. 20.* ſcripſit *orbitatis pretia nulla apud Germanos* cauſamque ideo nullam colendi *hagenſtolziatus.* Licet enim poſt *teſtamentorum* licentia recepta in Germanis, atque adfectari ita potuerint ORBITATES & ideo ſtatui poenae aduerſus HAGENSTOLZIOS: illud tamen ſi factum fuiſſet, qui tantam cataſtrophen ſiluiſſent hiſtorici & iure conſulti? A quorum ſilentio hic omnino, ea in re, poteſt requiri argumentum.

9) *conſenſu liberorum* & *agnatorum* in teſtamentis.

10) *Slesuicenſes* inteſtabiles ueteri ritu.

Nullae ex *orbitate gratiae.*

Nulla inde cauſa *hagenſtolziatus.*

DIFFERENTIA IV.

Ab *hagenſtolziatu* auocatio *priuilegiis* & *poenis.*

ROmano iure a COELIBATV & ORBITATE auocati ſubditi nunc PRIVILEGIIS *dignitatum; immunitatum; ciuitatis; liberationis* ab operis ac

ROMANI iuris 1) priuilegia

tutelis, etiam connubialium *lucrorum*(9): iterumque POENIS, excluſoriis *hereditate*, legatis & donationibus (10). In uberrima gentium *uagina*, GERMANIA noſtra, uti primum fuiſſet ſuperuacuum & noxium (11); ſic altero tantum abeſt, unquam opus fuiſſe, ut potius de *remediis* cogitatum, ad cauendam nimiam familiarum multitudinem. In quibus pacta de *non nubendo* ultra genitorum (12); *primogeniturae* iura, adſignato poſterioribus natu apanagio (13); interdicta, ne matrimonia contrahant milites (14); ſacri, praeſertim ordinis (15); collegae ſacri in praebendis & beneficiis, clerici & ſacerdotes (16). Tantum abeſt, ad connubia uel *coegiſſe* Germanos aliquem *poenis* uel, *beneficiis* & priuilegiis, inuitaſſe;

e) poenae.

Neutro opus in Germania.

Potius *prohibita* connubia conſtrictaque.

uitaſſe. Vt adeo innocuus ibi omni aeuo fuerit HAGENSTOLZIATVS.

Priuilegia PLVRIVM LIBERORVM Romae?

(9) Supra in *differ. I. num. 2.* in epitome exhibuimus, quam ſoliciti fuerint Romani in legibus connubialibus dandis: ut cauerentur *orbitates & coelibatus* longinqui; contra *nuptiae* promouerentur *maturarenturque partus.* Vult hoc legislator; uouent hoc poetae & oratores, in hymnis & ſermonibus hymenaeis; diuinant haruſpices & ſacerdotes faciuntque ideo ſacrificia. Tantum nempe intereſſe uidebatur, habere Romam, ciuium multitudine frequentiſſimam. Pertinent ad horum *priuilegiorum* claſſes & *commoda*, quae ſequuntur. Principio, *ad* PROLEM *populi* FREQVENTANDAM, *inuitamenta; quibus, in honoribus &* MVNERIBVS *publicis ambiendis, numeroſae prolis* PATER *antelatus & orbo & coelibi*, teſte GELLIO *lib. II. c. 15.* Deinde *Romae* TRIVM; in *Italia* QVATVOR: in *prouinciis* QVINQVE liberorum parens IMMVNIS factus ab oneribus publicis, perſonalibus (*der gemeinen bürgerpflicht*); non autem *patrimonialibus*; id eſt, tributo ac cenſu adſcriptitio fundis; niſi pater SEDECIM liberorum, qui in nullo oneris nexu fuit, uel perſonae impoſito uel rei, fundis, praediis, quod habetur in *l. ſemper in ciuitate 5. §. 2. D. de iure immunitatis* eoque conferendi auctores. Praeterea IVS QVIRITARIVM (*) imo *ciuitatis* Romae, quod conſequebantur

a) *in honoribus.*

b) in *immunitate.*

c) iure *ciuitatis* Quiritiiq.

(*) In lite, quid *ius Quiritium* aut *Quiritarium* ſit? eſt doctrina ſingularis *Ioan. Frid.* CHRISTII *ſilentiarii Saxonici*, uiri eleganter docti, in *noctib. academ. obſeru. IV. §. 81.* quod QVIRITIVM *uocabulum non omnes ciues* ROMANOS *denotet ſed* PLEBEM, *tantum.* Hinc IVS QVIRITARIVM fuerit illud, quod conſtiterit in commodis priuatis, *indegenatus, teſtamenti, connubiorum, hereditatis, uſucapionis:* contra CIVITATIS ROMANAE iura fuerint publica *honorum, dignitatum, ſuffragiorum, ſacrorum,* cete-

 Latini

Latini pariter *plurium liberorum* procreatione, teſte, poſt alios, VLPIANO *tit. III.* §. *1.3.* Licet ratio illius paulo ſit obſcura, cuius momenta ſingularia expendunt illi duumuiri interpretes ad *L. Iuliam Papiam & Poppaeam*, Iacob. GOTHOFREDVS & HEINECCIVS, iureconſulti. Succedit LIBERATIO LIBERTORVM, illis indulta, quibus duo pluresue liberi. Idque in omnibus officiis, quibus PATRONO fuerant adſtricti uel ex legis uinculo uel ex contractu ante inito, quam manumitterentur. Quod ipſum ampliſſime PAVLVS prodidit in *l. 37. qui libertinus duos pluresue; a ſe genitos D. de operis libert.* & plura congeſſere illius legis interpretes. Quod priuilegium tantum non enorme; coniunctum certe cum damno & iure quaeſito patroni, qui *operas libertorum* amiſit, quas requirere potuerat a ſuo liberto nunc lege iterumque conuentione ſingulari. Porro, uti *mulieres* Romae ſub PERPETVA TVTELA, quod docuit ex inſtituto *dn. praeſes* in opuſculo *de aetate puberum & maiorum cap. I.* §. *29.* atque *in tom. I. miſcell. p. 1133.* demum ad *SCtum Velleianum diſſ. V. n. 46.* ſic *ter enixa*, id eſt, *trium liberorum* mater ſui iuris facta eſt liberataque perpetuo iſto alias tutore, ut clare & definite PLVTARCHVS *in Numa p. 66.* quod idem etiam *libertae* datum, ſi *quatuor liberorum* illa parens, uti habet VLPIANVS in *fragm. tit. 29.* §. *23.* Taceo demum LEGES DECIMARIAS; SOLIDI CAPACITATEM; neceſſitatem DOTIS; CONVENTIONEM in MANVM; liberationem ab HEREDITATE deferenda PATRONIS aliaque coniugalia commoda, indulta ob cauſam eandem,

d) liberatione ab *operis* & clientela.

e) liberatione a *tutelis*.

f) *lucris* connubialibus.

ra, ut docet SPANHEMIVS in *Orbe Rom. exerc. 1.* §. *12.* Sed cum noſtro dogmate ROMVLVS QVIRINVS, GVERRINVS ſeu *militaris* audient indeque eius poſteri QVIRITIES, illud puto; *Romanos* & *Quirites* re ipſa unum idemque, licet quandoque *primum* notet tantummodo *patritios; ultimum plebem*,

ad-

aduerſus *Latii ueteres leges:* ut cum matrimonia facilitarentur; tum ſtudia plurium liberorum aduerſus coelibatum & orbitatem. Quae omnia, ex interpretibus L. IVLIAE, PAPIAE & POPPAEAE, eo fine, a nobis congeſta & ſummatim recenſita ſunt, ut conſtet: omnem lapidem mouiſſe Romanos legislatores ad multitudinem & frequentiam adaugendam populi Romani & proſcribendum Italia HAGENSTOLZIATVM. Quorum nihil inuenitur in Germania, hominum foecundiſſima procreatice.

(10) Non ſatis fuerat Romanis, inuitare populum ad connubia ineunda & πολυπαιδίαν promouendam commodis, praemiis ac priuilegiis: etiam aduerſus *coelibes & orbes* addendae & promulgandae fuerant POENAE. Vt eſſent utrique non tam *in uitio*, quam in *crimine*, legibus damnato. Nam primo COELIBES, niſi intra C. dies inierunt matrimonium, *neque* HEREDITATEM *neque* LEGATVM *ex* TESTAMENTO *potuerunt capere; ſed, quicquid relictum illis fuerat, illud ceſſerat* FISCO, auctore VLPIANO fragm. tit. 16. §. 1. tit. 17. §. 131. Deinde neque hoc ſatis fuerat, nupſiſſe. Quod *ſi enim* MARITVS *ultra XXV.* VXOR *ultra XX annos* ORBI *fuerunt; capere poterant tantum hereditatis ſemiſſem. Reliqua acceperunt cognati intra VI. gradum,* quod facile eſt ad intelligendum ex PLINIO *lib. V. epiſt. 1.* Sed in utroque teſtes luculentiſſimi ſunt ſcriptores CHRISTIANI. His enim cum, quadam ſacrorum nimietate, potius COELIBATVS & VIRGINITAS probarentur, quam ſemine & ſordibus ſpurca connubia: non poterant non aegerrime ferre leges & imperia ad nubendum & contrahendum matrimonium. Inprimis eſt, ea in re, aliis plenior, SOZOMENVS, quem Latine in *hiſt. eccleſ. lib. I. c. 10.* audiemus:

POENAE Romanorum in
a) COELIBES.
b) ORBOS.
Contra ROMA *chriſtiana extollit coelibatum.*

Digitized by Google

eſt ueteribus Romanis lex, quae eos, qui intra XXV. AETATIS *annum nondum inierant* MATRIMONIVM, *inter alia, quidquam ex aliorum* TESTAMENTIS *capere* PROHIBEBAT; *niſi eſſent cognati proximi. Eos uere, qui* LIBEROS *haud ſuſtulerant, nonniſi* SEMISSEM *eorum, quae teſtamento illis relicta fuerant,* CAPERE *patiebatur.* HAGENSTOLZII igitur dicti non *coelibes* tantum: ſed etiam *improles* idque poſt aetatis annum XXV. Quod ultimum quidem ſatis fuerat iniquum; imo ſtultum & abſonum in Latio ideoque creditu difficile. Nam licet GRAVINA *de LL. & quod SC. §. 11.* ita excuſare uelit hoc inſtitutum; *agnita coniugis ſterilitate, ad feliciores nuptias, miſſo repudio, migrare debuiſſet:* eſt tamen & hoc lepidum & inſanum conſilium. Nam cauſas allegare ſciunt MEDICI, quare aliae atque aliae perſonae generent concipiantque nunc citius iterumque ſerius. Feceris igitur naturae uim, nuptias rumpendo, ex quibus expectandi partus, ſi non maturi, ſat tamen tempeſtiui, ſi boni & praeſtantes. In ipſis arboribus uariant tempora partus. Proferunt aliae fructus mature; aliae ſerius. Et res ipſa docet, ultimum genus praeſtare primo. Deinde in bene ordinata republica diuortia & repudia facilius tolerantur & indulgentur: quam imperantur. Tantum abeſt, credi poſſe ultimum de Romanis, niſi clare & definite doceatur. Sed de his curſim. Nam ſatis eſt nobis illud: *Romanos animaduertiſſe cum in coelibes, tum in orbos; ut adeo utrique fuerint ſubiecti* POENAE HAGENSTOLZIATVS.

Nam *orbitas* coniugum XX. aut XXV. anno *aetatis* recte punita?

Germania multitudine hominum laborauerat.

(11) Quis enim calcar addiderit ſponte currenti? Et cum Germania hominum multitudine ſemper laborauerit, ea quidem, ut, cum terra omnes non caperet, opus eſſet deductione coloniarum & emigrationibus, iterum iterumque repetitis, quod uidimus in *diffe-*

different. I. num. 2. ſuperius: inane prorſus fuiſſet inſtitutum, multitudinis morbos promouere, prouocare praemiis plures liberorum numeros atque ſic adaugere terrae pondera, quibus ferendis ac ſuſtinendis patria impar. Altiſſimum igitur de *trium* aut *quatuor liberorum priuilegiis* ſilentium; de quibus neque in codicibus legum neque in hiſtoriarum monumentis nec uola nec ueſtigium ullum reperitur. Quid quod cum uteri foeminarum Germaniae adeo foecundi, ut edant quandoque *tergeminos*, uno eodemqne partu; deinde raro pater ſit trium tantum aut quatuor liberorum; cum empla non deſint felicium puerperarum, quae adſcenderint uel ad *triginta* liberorum numeros; praeterea Germanus *polygamus* quotannis ſatis fuerit, ad *triginta* & plures *liberos* procreandos, quod noſtri aeui docere poſſumus exemplo inſigni & docebimus forte in adpendice, fide unius monetae in memoriam *πολυπαιδίας*; tandem cum etiam in extrema *ſenectute* non deſint Germanis uires & *σπέρμα* ad generandum, quale exemplum ſtupuimus biennio & triennio abhinc, ut *nonagenario maior* duorum *anniculorum* pater, ob portentoſa euenta, PORVSSIAE REGEM ſacrae initiationis rogauerit *teſtem* ac *tutelarem* & quae alia ſunt argumentorum exemplorumque ſpecimina foecundiſſimae Germaniae generis eiusdem: cuilibet facile eſt ad intelligendum, uix in Germania aliquem officio aut publico muneri obſtrictum permanſiſſe; ſi quidem *trium* aut *quatuor liberorum* numeri conciliaſſent immunitatem. Adeoque patriae rationibus priuilegium hoc prorſus aduerſum ac inconcinnum.

tantum abeſt, illam priuilegiis prouocatam.

(12) Exempla ſunt illuſtria ſatis principum familiarum; in quibus DOMESTICA PACTA haec: *ut, nonniſi*

Pacta de non nubendo.

PRI-

PRIMOGENITVS *aut* MAIOR NATV, *connubium ineat propagetque gentem* (*der das geſchlecht fortſeze*); ceteri ἄγαμοι permaneant. Ne opes familiae, nimium diuidendo, decreſcant atque ad incitas demum redigantur. Hodie praeſertim, ubi, ſeruitutibus ſublatis, occaſio fere nulla ad faciendum quaeſtum & augendam rem familiarem. Illud contra nunc eſt prudentiae & artis: *parta tueri.* Adparatum exemplorum requirere licet ex MYLERI *Gamologia* atque noſtra *principe Germania.* Vti uero pacta, *de non nubendo,* patrio iure frequentiſſima cum olim fuere, tum eſſe ſolent etiamnunc: ita *Romae* illa prohibuit *lex Aelia Sentia* habuitque pro nullis, *l. 6. 15. D. de iure patron.* atque *l. 72. & 74. D. de condit. & demonſtr.*

Primogenitura propria Germanis. (13) Vti apud *Romanos* nulla praecipui iura *primogenitis*, ne poſteriori natu aliquid deeſſet ad nubendum & ducendum uxores: ſic *Germanico* contra haec ita propria ac peculiaria ſunt; ut, apud iureconſultos medii aeui, in formulam iuerit: *iure Germanico ſuccedere*, hoc eſſet idem, quam *ſuccedere iure primogeniturae.* Teſtis eſt grauiſſimus *Petrus de* VINEIS, *cancellarius imperii lib. II. epiſt. 17.* Qua etiam ſcribendi ratione utuntur *Bulgariſtiae, Bartholiſtae, Baldiſtae,* qui Germanos uerbis notant: *iſti ultramontani.* Plura de hoc ipſo dn. praeſes ad AVREAM BVLLAM *tit. 25. § 1. 2. 3.*

MILITIBVS qui interdicta connubia? (14) Reſpondet iuris problema: *num militi indulgenda ſit uxor?* Gabriel NAVDAEVS *lib. I. de ſtudio militari §. 27. num. 8. 9. eo.* Sed miſcet ille *conſilii* rationes cum eo, quod *lege* eſt prohibitum. Deinde differt a *libertate*, uxorem *ducendi*, altera quaeſtio, num ideo *habere* liceat in *caſtris* uxorem? Quos circulos ille turbat pariter. Quae omnia uero diſtinxit inuicem reſponditque

que ſigillatim *dn.* PRAESES in opuſculo *de conſenſu connubiali magiſtratus militaris, differentia IX. n. 7. 8.* Formulas hiſtoricorum, *iura maritorum* dedit, aliter explicat doctiſſimus HEINECCIVS lib. II. c. 7. §. 2. ad *L. Papiam Poppaeam;* ſed HERODIANI locus uerbaque γυνάιξετε συνοικεῖν noſtram, uidentur, tueri fidem. In *Germaniae* aliquibus *iuribus militaribus* poenam ſtatutam in *milites maritos,* nunc *corporis,* ut dicunt, *adflictiuam, bey harter leibesſtraffe;* WVRTENBERGICO iure *artic. XI.* atque HASSIACO DARMSTADIENSI *artic. 83.* nota infamiae, *ſolle, nebſt der dirne, zwey monathlang geſchloſſen in dem dreckkarren arbeiten.* Quorum locorum admonuit nos KRESSIVS *cap. 1. de iure hagenſtolziatus §. 5.* Poruſſica iterum iterumque repetita edicta aduerſus *milites maritos,* conduxit dn. PRAESES in opuſculo laudato proxime.

(15) Eſt enim hoc famoſum illud CASTITATIS VOTVM, quo *militiae ſacrae* addicti *uiri foeminaeque* adſtringuntur; ad colendum perpetuo COELIBATVM, imo eierandum omnem *Veneris* uſum cultumque. Quam innumerae *familiae,* hac lege, extinctae ſint exaruerintque; illud experientia docet caſibus innumeris. Quod ſi ergo Germanorum interfuiſſet; πολυτεκνίαν promouere, uel ab his ordinibus fuiſſet abhorrendum & abſtinendum uel ex *triga uotorum,* coelibatus expungendus. Vltimum conſilium ſecuti ſunt *Hiſpaniae* EQVITES S. *Iacobi; Alcantarae; Calatrauae:* quibus ducere licet uxores, ob ſterilem hominum *Iberiam.* Qua cauſa illis connubia indulſit GREGORIVS *XIII.* papa an. CIↃ IↃ LXXV. ne orbam magis redderent Hiſpaniam, incolarum paucitate laborantem, quod docet *Andr.* MENDO *de ordin. milit. diſquiſ. I. quaeſt. 7. n. 147. nam principio,* ait; *caſtitatem abſolutam vouere; poſtmodum uero,* nu-

SACRAE militiae uotum COELIBATVS.

D ptiis

ptiis priuilegio conceſſis, *coniugalem*. Idem in *diſquiſ. III. quaeſt. 16.* atque inprimis in *diſquiſ. V. quaeſt. 1.* ex inſtituto; ubi huius problematis nectit ſoluitque nodos & tricas. Vnde illud minimum patet; *Euangelicos ſacrae militiae* S. IOANNIS ordines, in SONNENBVRGENSI *Venedo prioratu*, nihil facere ideo legibus aduerſum, ſi & ipſi probent *coniugalem caſtitatem*, quam colunt, deſerto, Hiſpanorum exemplis, coelibatu.

De coniugio CANONICORVM & clericorum.

(16) De *coelibatu clericorum*, proſcripto in eccleſiis Euangelicis, agere ſolent *theologi* noſtri, quibus hanc ſpartam omnino exornandam relinquimus. Illud conſtat: coelibatum olim *uirtutis* fuiſſe, ne animi clericorum, diuinioribus curis defixi, inde abſtraherentur, cogitando liberos & uxorem uel ne ſacro aerario graues eſſent clerici mariti, eo tempore, quo caruerunt ſalariis, quod docuit *dn.* PRAESES in *miſcellis tom. II. lib. III. opuſc. 4. c. 1. §. 3. p. 895. ſq.* poſtea *uirtus* degenerauit in *legem* uouendi perpetui coelibatus, omni clerico. Quod iugum abiecimus de humeris noſtris euangelici. Sed quid de COELIBATV CANONICORVM? Etiam hunc explodere ſolemus euangelici in noſtratibus quidem. Nam qui pontificialibus ſacris addicti ſunt, illis etiamnunc eſt nefas, inire matrimonium, licet *praebendae* ſint *euangelici epiſcopatus* atque collegae euangelici ſecum ducant uxores. Quapropter, exempli loco, amitteret pontificius canonicus ſuam *praebendam* ſeu beneficium ſacrum HALBERSTADII, ſi quidem fieret maritus. Nam PORVSSIAE R. aeſtimat *pontificium* canonicum iure pontificio. Sed quid? ſi eidem quoque pontifex indulgeret uxorem. Repono. Cum PORVSSIAE R. *Halberſtadii* pontificem alium non agnoſcat; uerum ſibi iure adroget *pontificatum:* igitur indulgentia in hoc genere requirenda

Digitized by Google

quirenda BEROLINI, non ROMAE; cui repudium miſimus in TABVLIS WESTPHALICIS *artic. V.* Quapropter noſtri iureconſulti meminere caſus, quod *catholicus canonicus pater* factus *liberorum*, non alia indulgentia, quam FRIDERICI WILHELMI principis electoris, fruſtra muſſitante & murmurante papa Romano.

DIFFERENTIA V.

L. IVLIA, PAPIA & POPPAEA inimica dogmatibus CHRISTI.

EX quo ROMANI fidem addixere dogmatibus CHRISTI; ex eo etiam L. IVLIAE, PAPIAE & POPPAEAE hoc caput ſublatum, quod conceptum fuerat aduerſus COELIBATVM (17). Qui potius eſſe uidebatur in conſilio apoſtoli; ut *coelibatus coeliſtatus* audiat, uulgari ſermone doctorum eccleſiae (18). Si igitur ueteri GERMANIAE iure ſtatuta fuiſſet in HAGENSTOLZIOS poena; illam haud dubie expunxiſſet pariter CHRISTIANISMVS (19). Cuius rei cum in omnis aeui memoria nullum ueſtigium ſuperſit;

Chriſtianiſmus ſuſtulit ROMAE *poenam* coelibatus

non in GERMANIA, ubi fingitur.

perſit; inde filum conſecutionis firmiſſimum; HAGENSTOLZIATVS poenam in GERMANIA ſemper exulauiſſe fingique gratis (20).

Cauſa, quare L. *Iulia Papia Poppaea* ſublata cum *chriſtianismo* an. 320?

(17) Fuerunt olim & eſſe ſolent etiamnunc dogmata aliquorum theologorum: *qui nuptias uel damnant in pragmatico chriſtiano* uel tamen *difficulter* tolerant; tantum abeſt, inter illos reperiri, qui uel improbent coelibatum uel habeant eundem homine chriſtiano indignum aut coercendum poenis. Ex quo igitur CONSTANTINVS M. CHRISTI doctrinae ſe mancipauit, ex eo etiam expunxit *legem Latii pagani* de *poenis coelibatus*. Extat conſtitutio in *C. Theod. lib. VIII. tit. 15.* an. 320. concepta his uerbis: *Qui, iure ueteri* CAELIBES *habebantur, imminentibus* LEGVM (Iuliae Papiae & Poppaeae) TERRORIBVS, LIBERENTVR *atque ita uiuant, ac ſi numero* MARITORVM, MATRIMONII *foedere fulcirentur ſitque omnibus* AEQVA *conditio, capeſſendi* (hereditatem) *quod quisque mereatur. Nec uero quisquam* ORBVS *habeatur. Propoſita huic nomini* DAMNA *non noceant. Quam rem & circa foeminas* (orbas aut coelibes) *aeſtimamus earumque ceruicibus impoſita* IVGA *ſoluimus promiſcue omnibus* an. 320. Cui legi adiungi debent, quae in *C. Theod. de iure liberor.* habentur in titulo ſequenti. Quae eadem repetit in ſuo CODICE IVSTINIANVS *lib. VIII. tit. 58. 59.* Licet autem noſtra parum interſit, num inſtaurauerint hanc conſtitutionem ſucceſſores, an ſcripſerint demum: illud tamen mirum eſt, *cauſas* conuerſionis non fuiſſe adductas, licet raro alias Latii leges ſint absque *prooemio*. Produnt tamen illas

illas *hiſtorici*, rudi licet minerua, in legum ipſarum argumentis. In qua claſſe EVSEBIVS *in uita Conſt. M. lib. IV. c. 26.* atque SOZOMENVS *lib. I. c. 9.* exſcripti tot auctoribus aliis. Vt fruſtra ſint, qui *uindicias* has *coelibatus* & *uirginitatis*, a poena liberandae, tribuere nolunt ſucceſſoribus principibus aliis; cum teſtatiſſimum ſit, ipſum CONSTANTINVM M. iamnunc chriſtianum factum, ab hac *uirginitatis* prohibitione illico abhorruiſſe eamque in orbe Romano ſuſtuliſſe.

(18) Problema illud: *num praeſtet uxorem ducere, an colere coelibatum?* fruſtra ſolet a politicis uentilari. Nam hoc officio non obſtringitur, cui natura denegauit uires, generandi aut concipiendi. Quo enim ſine arborum flores inanes, niſi fructus, eorundem finis, ſubſequantur? Deinde quem leges prohibent, inire connubium in ſtatu ciuili, uitium non in ſubdito eſt quaerendum; ſed in legislatore. His autem aliisque cauſis e medio ſublatis, crediderim; hominem in *coelibatu* aeque in uitio eſſe, quam arborem *infrugiferam.* Admonent illum non ſolum illud ſacrum edictum, *multiplicamini;* ſed etiam *organa* & protuberantia ſemina ad generandum & concipiendum. Vulgi certe ſermo eſt: DEVM *& naturam nihil feciſſe fruſtra.* Quapropter, in ſtatu naturali, omnino adprobo illud EBRAEORVM edictum THALMVDICVM: *peccare iuuenem; ſeptendecim annis maiorem, ſi quidem moras nectat in matrimonio ineundo*, quem male intelligi a philologis Ebraeis, docuit *dn.* PRAESES *in opuſculo de aetate puberum & maiorum cap. XII. §. 4. 5.* Neque APOSTOLI conſilium exemplumque, in colendo *coelibatu*, aliud uult; quam eo tempore, quo crimen habetur, CHRISTI nomen dare, minorem calamitatem coelibum eſſe, quam coniugatorum & patrum ac ma-

Connubium DEI & NATVRAE praeceptum?

trumfamilias. Cum facilius ſolum uertat ille, qui non eſt in alterius nexu, coniugis & liberorum. Qui alio fine extollunt uirginitatem aut coelibatum; illi labuntur a ſcopo uaganturque extra oleas. Quod argumentum plenius tractant theologi euangelici. Et quam inhumana inſtituta VESTALIVM Romae, uirgines poenis & ſuppliciis adſtringere ad uota *ſterilitatis* & bella perpetua gerenda aduerſus naturam. Quod horruerant etiam prudentes pagani, quod teſtimoniis exemplisque docuit litteratiſſimus HEINECCIVS ad *L. Iuliam, Papiam Poppaeam lib. I. c. 1. §. 1. 2. 3.* Quaſi VESTAE SOCIETAS non aeque digna fuerit *matronarum* cultu; quam coactae uirginitatis puellarum. Pudeat CHRISTIANOS adfectati, ea in re, paganiſmi in *monialibus;* qui horrore dignior, quam imitatione. Ita enim effugere uelle puerperia; illud eſt idem, quam poenis ſe ſubtrahere lapſus EVAE filiarum, cetera.

Germaniae inuiſus *hagenſtolziatus* neque *paganae* neque *chriſtianae*.

(19) Ita enim, recte argui, exiſtimo. Si *puniuit* Germana HAGENSTOLZIOS, illud uel *pagana* fecit uel *chriſtiana.* Sed non *prima,* quoniam haec ciuibus & incolis abundauit, imo laborauit hominum numeris immanibus quoque, praeſertim in cultu *polygamiae:* neque etiam *altera,* quoniam extulit tantopere cultum *uirginitatis* & *coelibatus* perpetui ac omni uita duraturi. Adeo, ut uirtutis eſſet ac pietatis ſingularis; tueri etiam *uirginitatem* coniuges in ipſo connubio. Exemplo uaniſſimo CVNIGVNDAE AVGVSTAE, quae, officii, marito debiti, neglectu, DIVAE VIRGINI ſe credidit ſimilem, *neſciendo uirum.* Somnia blaſphema!

Si *hagenſtolziatus* nulli limites,

(20) Parum alias roboris argumenta habent a *ſilentio ſcriptorum.* In noſtra autem hac cauſa eo ſum fidentior ad arguendum: quod *poena hagenſtolziatus,* ſi quidem

dem illius unquam aliqua ratio in Germanis, a chriſtianis doctoribus uel improbata & proſcripta fuiſſet uel conſtricta limitibus & exceptionibus; ſi *hagenſtolzia Veſtalis,* ſi uoto mancipata *uirginitatis* colendae ob pietatem ſingularem & uirtutem; ſi *hagenſtolzius* miles ſacer; ſi *coenobita;* ſi *collega* ſacer; ſi *clericus;* ſi *uoto caſtitatis* illaqueatus, cetera. Verum cum de utroque ſileant hiſtorici legesque diuinae & humanae in noſtra republica; *hagenſtolzios* certe iure Germanico impunes ſemper fuiſſe, prorſus arbitror. **nunquam ille prohibitus.**

DIFFERENTIA VI.

HAGENSTOLZII *nomen* non eſt *criminoſum.*

I*Vre Romano* aduerſus coelibatum & orbitatem multarum nomina *legum* habentur, a principio urbis usque ad AVGVSTVM OCTAVIVM iterum iterumque repetita & inculcata, in quibus praecipue demum IVLIA illa PAPIA POPPAEA (21): uerum *Germanico iure* uox *hagenſtolzii* nihil criminis aut probri habet, cum *coelibem* uniuerſim denotet, id eſt, ſine *palmite truncum.* Certe *palmites* in uernacula *hagen;* *ſtolz* uero idem,

Romanarum LL. nomina aduerſus coelibes.

Germanis HAGENSTOLZII uox non criminoſa.

idem, quam *truncatum* ac deſtitutum ſurculis aut ramis (22). Vt inania commenta ſint aliorum de uerbi huius etymologiis (23). Deinde quis *delictum* adpellauerit *iuris nomine;* aſt interpretibus noſtris *vom hagenſtolzenrecht* ſermo eſt, ſatis pueriliter (24). Tum *leges* eius generis non ſatis eſt, condere; niſi etiam inſtauraueris illas & animaduerteris in uiolatores. De quo utroque cum ſileant noſtri *codices* & *annales* in

Niſi per tempora REFORMATIONIS 1500.

Germania neque, ante SACRA EVANGELICA inſtaurata, extet eius rei uel uola uel ueſtigium (25); cum, quae aliqui in medium hic adferunt, huius illa necquicquam ſint loci: igitur opinor hoc, plaſten & parentem

& IVS ROM. receptum.

monſtri huius fuiſſe *Romanum* aliquem *leguleium*, qui his offuciis

fiſcum

Digitized by Google

fiſcum PRINCIPIS ſui uoluerit reddere locupletem (26); bella indicendo coelibum uotis ac Latii legibus, pridem abrogatis, in patria noſtra abutendo (27).

CENSORVM munus aduerſus coelibes & eosdem.

(21) Non ſatis fuerat, interdictum *coelibatum poenis.* Etiam *cenſoribus* illud mandatum ſerio; *ut coelibes eſſe, prohiberent,* quod CICERO teſtatur *lib. III. c.3. de LL.* Tribuit hoc *Gabr.* NAVDAEVS *lib. I. de re militari n.10.* legibus *XII. tabularum.* Verum *cenſorum* inſtituta ſunt aeui recentioris. Certior eſt locus *Valerii* MAXIMI *lib. II. c. 9.* qui talis: CAMILLVS & POSTVMIVS, CENSORES, *aera,* POENAE *nomine eos, qui ad ſenectutem* COELIBES *peruenerant, in aerarium deferre iuſſerunt. Cum in hunc modum increparentur.* NATVRA *nobis quemadmodum* NASCENDI; *ita* GIGNENDI *legem ſcribit. Cum interim conſumti anni ueſtri &* MARITI & PATRIS *nomine uacui. Ite igitur &* NODOSAM *exponite* STIPEM (truncum, ſtolzen) *utilem poſteritati numeroſae.* Ceterum huc facientia REGVM inſtituta; quaeque ſapienter ordinauit poſtea POPVLVS; demum IVLIVS ſtatuit AVGVSTVS, *Papio* & *Poppaeo* conſulibus, illa omnia per epitomen exhibuimus ſupra *differ. I. n. 1.* atque plenius *differ. IV. n.9.* In qua morum ſeueritate perdurauerunt Romani, usque dum, republica CHRISTIANA facta, haec connubiis praetulit plurimum uirginitatem & coelibatum, quod oſtendimus *differ. V. n. 19.* Vt adeo *iuris Romani* cum in *interdicto coelibatu;* tum in eodem *indulto* poſt, conſtet pleniſſima hiſtoria. Sed in *Germanico* iure exulat utrumque;

quod nullus ſcriptor uel *legiſlationis* aduerſus *hagenſtolzios* mentionem faciat; uel factae *abrogationis.*

Vnde HAGENSTOLZII nomen?

(22) Meo iudicio clarum eſt etymon HAGENSTOLZIATVS & HAGENSTOLZIORVM. *Hagen* in noſtra uernacula & ſeptentrionalibus linguis omnibus idem eſt, quam *ſepes, ex arboribus* aut *fruticibus* contexta: STOLZ uero idem, quam *ſepe , truncus,* Germanice *ſtrunck,* id eſt, ſine ſurculis, frondibus, palmitibus. Quae ipſiſſima definitio eſt OVIDII *lib. IV. metamorph. u.* 135.

COELEBS *ſine* PALMITE TRVNCVS.

Neque ouum ouo poteſt eſſe quid ſimilius; quam *hagenſtolzii* nomen huius poetae uerſiculo. Nam inde, *truncare* arbores, in noſtra uernacula, dicimus, *abſtölzen,* uel etiam *ſtolzen,* zum *ſtolzen* oder *ſtock* und *ſtrunck* machen. Quod magis eſt, ipſae ideo *grallae* die krücken, dicimus *ſtölzen* atque grallatorem, der auf *ſtölzen* gehet. Qui mos cum ſit hominis parum ſani; ideo ab his grallis & cothurnis adpellauimus *einen ſtolzen;* ſtultum Romanis, uoce eadem, licet diuerſo quodammodo ſignificatu. Loca *Rabani* MAVRI; *gloſſatoris* GOLDASTIANI; BOTHONIS aliorumque conduxere DIECMANNVS atque KRESSIVS. Qui utrique etiam hoc facile inuenerunt, uerbum *hagenſtolzii* in medio ſenſu adhibitum fuiſſe neque aliquid *probri* aut *criminis* denotauiſſe. Certo iterum indicio, in *coelibatu* uixiſſe & perduraſſe, illud non fuiſſe ſceleſtum aut criminoſum Germanis.

Nugatoria etyma uerbi *hagenſtolzen.*

(23) Dilabitur vir doctus, *cap.* 2. *de hagenſtolziatu* in nouam ſententiam: *quaſi* HAGEN *idem, quam* DOMVS & STOLZEN *idem quam ſuperbire.* Eum igitur eſſe *hagenſtolzium,* qui ſua *domo gaudeat* ſuperbiatque, quam nolit exire & frequentare *Phyllidis aedes;* ad requirendam inde

Digitized by Google

inde uxorem. Verum his ambagibus propterea non eſt locus, quoniam, uetuſtiſſimo ſenſu, uox nihil habuit *probri*. Aliorum deliria; quaſi idem ſit, quam *haberſtolz*, cum repudium paſſis *auena* ſoleat ſpargi uel *hofeſtolz*, quod aulici adamare ſoleant amorem uulgiuagum uel *hageſtolz* ſibi tantummodo placeat, *der ſich ſelbſten* BEHAGE, haec quidem omnia talia ſunt, quae ſtomachus non concoxerit uiri prudentis & leuiter docti criticam aeui inferioris. Sunt SCHOTTELII; SCHOENBORNII; BESOLDI; GLOSSATORVM aliorum aenigmata, quibus necquicquam eſt opus in uerioris etymi tanta luce.

(24) Ita enim SCHOTTELIVS aliique vom HAGENSTOLZENRECHT. Nam ſi *coelibatus* prohibitus eſt; nulla *hagenſtolziatus iura* ſunt: uerum illius *iniuriae* & *crimina* tantum edicenda; licet *ius pati*, hoc idem, quam poenam ſentire. *Hagenſtolzen*-RECHT inconcinnum.

(25) In *iure Romano*, ſemel *legibus* interdicto *coelibatu*, cauſae occurrunt quam plurimae, quae in hoc argumento fuerant definiendae ac commemorandae iureconſultis & hiſtoricis. Nam uti eſt ualde durum, ad *matrimonium cogi*: ſic caſus euenire ſolent non leues, in quibus iudici fuerat dubitandum & ambigendum, quid ſentiendum eſſet & pronuntiandum. Quod ſi ergo fuiſſet olim *hagenſtolziatus* in crimine; haud dubie occurreret ille in hiſtoria *iurisprudentiae criminalis*. Nam *centum* & pluribus abhinc annis, ubi in aliquibus Germaniae prouinciis ac locis huic *incantamento* adſtrui coepit auctoritas; quaeſo! quam innumera illius diſputata ſunt in foris iudiciisque *problemata*. Quorum olim uti memoria nulla occurrit; ita credi non debet, talem eo tempore legem in Germania noſtra unquam uiguiſſe. Praeſertim cum tantam *quaeſtionum ſegetem* De *hagenſtolziatu* cauſae aut *cauſae* nullae ante an. 1590.

 pro-

proferant noſtra tempora, quibus pridem finem attuliſſet *patria iurisprudentia*, ſi quidem illius quondam pars fuiſſet *hagenſtolziatus*. Neque dum enim conueniunt iureconſulti; qui fabulae habent fidem, in *cauſis* & *caſibus* litigioſis, qui ſequuntur. Principio neſciunt *hagenſtolziatum* DEFINIRE. Sed eſt *coelibatus ſerior lege, cuius ideo fiſcus eſt heres*. Deinde haerent in tempore; num annus aetatis XX. foeminis, XXV. maſculis ſtatutus ad nubendum & ducendum uxorem. Quae aetas licet *Romanis* forte concinna; *Germanis* illa eſt iuſto breuior, quod apud illos ſera & olim iuuenum uenus neque connubia properata. Hinc alii XXX. annum ſubſtituunt ex LL. Platonis. Alii L. quod tum ceſſent concipiendi & generandi uires. Quod in Germanis pariter eſt negandum. Exemplo commemorato admodum aduerſo huic doctrinae. Praeterea neque in ipſa POENA *hagenſtolzii* ſibi conſtant. Alii negant eidem *teſtamenti factionem*, ut ita dicam, quod ei *fiſcus* ſit *heres* tantum; alii diſcrimina faciunt inter bona *auita* & *noue acquiſita* putantque prima eſſe heredum ab inteſtato; ultima nonniſi fiſci. Sed *utrumque genus* bonorum alii malunt deglubere & fiſco addicere omnem eorundem maſſam. Ego clare docui, nefas eſſe, *teſtari* de bonis apud Germanos & *agnatos* eſſe ex legis neceſſitate heredes inteſtatos ſemper, *differ. IV. n. 7.* Tum ambigunt, cui in poenam cedat *hagenſtolzii* hereditas? Quod alii eam adſignent *principi; alii iudici; alii magiſtratui* in ciuitatibus, nonnulli *domino* hominis *proprii; emphyteutae; cenſitae*. Et, inter hos omnes, *ultimis* tantummodo eſt fauendum. Nam illi fuere ſuorum famulorum, ſeruorum, ſeruarumque heredes. Vnde iuris prouerbium: *proprius homo uiuus eſt liber, qui*

poſt

PROBLEMATA iuris de *hagenſtolziatu* in a) *definitione.*

b) anno *aetatis.*

c) *poena.*

d) cui cedat, *fiſco*, an *iudici*, *magiſtratui*?

poſt mortem ſit ſeruus. Quia dominus eſt illius heres. A quo iure, cum domini remiſerint, in gratiam liberorum, hisque indulſerint hereditatem; inde factum eſt, ut remanſerint tantummodo exheredes uel *coelibes* uel *orbi*, id eſt, *hagenſtolziorum* cohors. Idem olim etiam iuris in principis *miniſteriales*, quod & hi in illius patrocinio & clientela. Atque haec *mortuariorum* iura confudiſſe alios; ſiue ignorantia ſiue dolo, quod nobis perinde eſt, cum *coelibibus & orbis* generis cuiuscunque etiam *ingenuis* & *nobilibus* & ita *monſtroſum* partum excluſiſſe *hageſtolziatus*, ego quidem ſum certiſſimus e plurimis argumentis, conducendis ſuo loco. Inde enim cauſa formulae: *dem ſterberecht der hagenſtolzen*, cetera. Quod etiam intellexerunt iureconſulti; qui illud definiuerunt ita hodieque: *hagenſtolzii non alius heredem fiſcum*, quam *hominis liberti, proprii, adſcriptitii glebae.* Vt perfrictae frontis ſint alii, qui hoc ſtigmate quoque notare uolunt uiros ingenuos; conſpicuos honore ac dignitate; imo gentilitiis teſſeris. Qui error indignus Germanorum ciuium libertate. Tandem disquirunt de sexu: *num foeminae etiam coercendae hac poena?* Alii etiam illas addicunt huic legi; alii contra eximere inde ſolent iſtas idque ideo; quoniam pudicitiae muliebris ſepimentum deſtruant, qui officii illud ab honeſta foemina requirant, ſe exhibere *uiricupidam*, nupturire. Verum noſtra definitio etiam hic clara. Quoniam *ſeruae* aut *adſcriptitiae* foeminae dominus uel imperauit connubium uel indulſit, quod *dn. praeſ.* oſtendit in opuſculo *de conſenſu & imperio connubiali differ. X.* quae eſt ſigillatim de *conſenſu dynaſtae in connubiis ſeruorum.* Denique etiam dubii ſunt in eo: num hac poena adficienda uiduitas, quod ſatis ſit, ſe-

e) an *propriorum & adſcriptitiorum* tantum?

f) num *foeminae* hagenſtolziae?

g) num *uidui & uiduae*?

mel uel uxorem fuiſſe uel maritum. Sed facile eſt ad definiendum hanc litem: cum etiam orbitas ſola faciat *hagenſtolziatum* largiaturque iura domino ad cernendam hereditatem. Et quae demum ueſania eſt, urgere hanc legem in *clerico*, *milite* ſacro & ciuili? Nam uti hi omnes coruſcant nobilitatis uel gentilitiae uel litterariae teſſeris; ſic indignum eſt, ab his uel expetere uel expectare *mortuarium*. Quamuis etiam notandum ſit illud: EPISCOPORVM & PRAELATORVM *heredem fuiſſe nonniſi* IMPERATOREM; *uti hodieque* TEVTONICI *ordinis* MAGISTER *ſupremus eſſe ſolet* HERES EQVITVM *collegarum*. *Ad extremum* alii ita coercendos perhibent nonniſi uoluntarios connubii contemptores. Contra *thlaſſis* & *thlibiis* eſſe parcendum. Quaſi non ſatis eſſet hoc; dominum eſſe cuiusque ſubditi improlis heredem. Verum ſatis iuris huius problematum. Cum filum conſecutionis firmiſſimum ſit: *hagenſtolziorum iura prodere adoleſcentiam ſuam toties haerendo, dubitando, ambigendo, in cauſis neceſſariis & pridem haud dubie definitis uel legibus uel more, ſi illius aetas aliquanto maior aut uetuſtior.*

h) num *militi*, *clerico*?

i) *inhabili* ad *generandum* aut *concipiendam*.

(26) Referemus placita aliquorum: qui LEGES ueteres cum hoc inſtituto aduerſus HAGENSTOLZIOS uolunt conferre. Principio trahunt huc CAPITVLARE CAROLINVM *an.* 813. *§.* 6. eiusque uerba: *de his, qui a* LITTERARVM *conſcriptione* INGENVI *fuerint, ſi ſine* TRADITIONE *mortui fuerint;* HEREDITAS *noſtra ad opus noſtrum recipiatur.* Mirum eſt, quam torqueant huc & illuc hanc legem, quaſi ſine *traditione* ſit idem, quam *ſine liberis*, cetera. Verum omnia plana ſunt hoc quidem ſenſu. Vult imperator; ut, qui ſint *codicillis imperialibus* manumiſſi; ſed nondum a ſuis dominis de poteſtate ſua dimiſſi aut *traditi* in libertatem; illi *heredem* haberent

FVTILIA cum *hagenſtolziatu* commenta.

a) CAPITVLARE Car. M 813.

fiſcum,

ſiſcum. Non *dominum*, ob *libertatis* codicillum; neque *heredes ab inteſtato*, quoniam deſit *traditio* in libertatem adeoque non poſſint illi haberi pro *ingenuis* plene reque uera. De *teſtamento* autem non poterat aliquid requiri, quoniam illa tum non *legis*; ſed *indulgentiae principalis*. Vti conſtat ex *LL. Longob. lib. II. tit. 16.* Sed hoc quid ad *hagenſtolziatum?* Nam quod *domini*, patrio iure, ſeruorum fuerint *heredes*: illud eſt teſtatiſſimum. Succedit LEX RIPVARIORVM *tit. LXI. §. 1.* *Si quis* SERVVM *ſuum* LIBERTVM *fecerit*, *ſi* SINE LIBERIS *diſceſſerit*, *non alium, niſi* FISCVM *noſtrum habeat* HEREDEM. Illud enim praecipui iure ſibi uindicat REX: ut, *libertorum* IMPROLIVM ſit heres. Cum *ſeruorum* hereditas obuenerit *domino*: *ingenuorum* autem conſanguineis: ſic *manumiſſorum denario* id eſt nummis uel *charta* (inde *chartularii* & *denariati* audiuere) cederent nonniſi *fiſco* regali. Tandem neque aliud quid habent uoluntque *LL.* LONGOBARDORVM *lib. II. tit. 14. §. 16. 17.* ceteris quam hoc: *quod ſi* LIBERTVS *deceſſerit ſine* LIBERIS: *hereditas uel* PATRONO *cedat uel* CVRTI REGIS, ſiquidem in ultimae fuerit clientela. Verum uti haec omnia ſunt medio aeuo teſtatiſſima, conducta etiam a *dn. praeſ. in opuſculo de donationibus diſſer. I. cap. 3.* ſic parum aut nihil faciunt ad noſtrum argumentum. Siquidem *hagenſtolzios* confodere uolueris *poenis*; cum ſuccedendi ordo is fuerit, patria lege & more, ut, ſi in *libertis* defecerint *liberi*; tum iisdem heres eſſet *patronus* ipſeque *princeps* aut *rex* eodem iure *clientelari*. Contra *ſeruorum* ſemper *heres* nonniſi *dominus*, ſuperſtitibus etiam liberis, iure *dominico mortuarii*. Sed exulet *orborum* aut *coelibum* fictitia *hagenſtolziatus* poena; praecipue in hominibus *ingenuis*, quos indigniſſimum eſt, mori in egeſtate eorumque

b) LL. RIPVARIAE. tit. 61.

c) LL. LONGOBARDOR. l. II. tit. 14. §. 16. 17.

que propinquis eripi, quod illis, iure & more patrio debetur.

Glaucomata hagenſtolziatus. (27) Duplex *glaucoma* in uno eodemque errore. Nam *euangelicis theologis* uota *coelibatus* & imperata coactaque *uirginitas* ſudes in oculis & mala crux: *iureconſultis* autem impoſuit *dominorum* & *patronorum* ſucceſſio, patriae ſolennis aut *L. Iuliae Papiae Poppaeae* gratiae, malo & infauſto ſidere, reductae. Quaſi eandem olim expunxiſſet dogmatum *chriſtianorum* ſuperſtitio.

DIFFERENTIA VII.

Num *legislatoriae* prudentiae *hagenſtolziatus*?

Poenarum latii in coelibes a) cauſa b) indoles.

ROmano iure legis poenalis CAVSA aduerſus *coelibatum* & *orbitatem* deſideria *populoſioris* reipublicae (28): neque HAGENSTOLZIIS ESSE licuit HEREDIBVS; ſed tamen heredes HABERE (29): *Germanico iure*, ſi quidem fingenda (30) aduerſus HAGENSTOLZIOS poena; fieret hoc *tributorum* ergo; ſi quidem illa ſeculum requiſiuerit uel a *capitibus* uel ab *impenſis* in uictum & cultum *der* ACCISE (31). Vt in noſtra urbe *hagengolzio*

Germaniae ex aduerſo a) tributo.

ſtolzio eſſe ideo non licet *ſalinato-
ri* (32). Sed tum praeſtaret uel *an-* b) deſtitutio *heredes.*
nuum cenſum imperare *hagenſtolziis*
(33) uel mortuos *uiceſimare* (34) uel LEGISLATIO *præſtantior* in
heredum reſtringere & contrahere a) *cenſu* b) *uiceſima-*
gradus ad quatuor numeros (35); *tione* c) *infinitudine* ſucceſſionis.
quam deprimere defunctos in ſor-
tem infimae ſeruitutis (36). Futili FVTILITAS ab *emortuario* ad
ſatis tegumento, ex uetuſtate peti- *hagenſtolzia-*
to; quod olim ADSCRIPTITIORVM gle- *tum.*
bae ſiue COELIBVM ſiue IMPROLIVM,
heredes tantummodo DOMINI ac
PATRONI (37). Quo errore patria,
noſtris curis, fuerat eximenda &
liberanda (38).

(28) Romae enim non ſolum *ſterile* clima, ob ſo- Cauſae *Ita-*
lis aeſtum, quod ſcripſimus *differ. I. n. 1.* Sed ipſi et- *liae,* minus
iam incolae, *uulgiuagi* amoris ſtudioſi, ſoliciti magis *populoſae?*
de *libidine* exercenda, quam procreanda ſobole, quod
differ. II. n. 5. doluimus. Neque hoc eſt ſatis. Stupen-
da etiam ueneris conuerſio *Italis* & olim probata (*) atque

(*) Grauiter ideo inuehit in *Romanos* gentium ille doctor S. PAVLVS in *epiſtola* *ad Rom. I. u. 24. 27.* Cuius inuectiuae praecipuum argumentum παιδεραστία. Cui

etiam-

etiamnunc ad obſcenum eius orae palatum ſolet eſſe. Vt poetae ludant, plures Italos non generari aut gigni; quam mori & occidi morbis, cladibus, armis (**). Sed tamen etiam bella Romanorum, cruenta & quotidiana, imo geſta fere cum uniuerſo orbe, numeros incolarum ualde exhauſerunt. Praeſertim cum officium hoc eſſet cuiuscunque ciuis; legi miles, ſequi caſtra, expeditionum numeris defungi. Addo cultum monogamiae etiam in ipſo paganiſmo. Qui pariter obſuit liberorum multitudini. Vt adeo cauſae eſſent grauiſſimae Romanis, ad interdicendum poenis coelibatum & orbitatem.

Poenae *Latii* coelibum.

(29) De poenis *Coelibum* & *orborum* actum eſt *differ. IV. n. 10.* de aere uxorio & mulcta *differ. I. n. 2.* Quod plenius tractant interpretes *Romanarum antiquitatum.*

Conſultatoria iurisprudentia Ger-

(30) Cum SCHOTTELIO; WEHNERO; LAVTERBACHIO; HAGEMEIERO; BESOLDO; BEYERO & nuper duumuiris de *hagenſtolziatu* interpretibus, WERNERO & KRESSIO teſtatis-

L. SCATINIA oppoſita ad parcendum nonniſi *pueris ingenuis.* Nam talia pati, in *ſeruis* obſequium fuerat; in libertis officium. Cuius *L. Scatiniae hiſtoriam* deſcripſit ſingulari opuſculo, quod muſis noſtris eo momento obtulit, quo haec exarauimus, uir doctus & plurium linguarum peritus, *Ioan. Frid.* CHRISTIVS laudatus iam alibi.

(**) Scio etiam credi hoc temere de Germanis. Quod TACITVS *de M. G. c. 12.* perhibeat, *corpore* INFAMES, *coeno ac palude, iniecta inſuper crate, eos* MERGERE ac ſuffocare. Non inficior, formulam ac pharaſin *corpore infamium* eſſe alias illorum, qui crimine ſe polluant παιδεραςίας. Verum hanc innotuiſſe olim maioribus noſtris, inficias ire uidetur QVINTILIANVS *dec. 14. nil tale nouere Germani & ſanctius apud illos uiuitur.* Et ſane crediderim, Germanicum ſanguinem, in temperato climate, non ita ebullientem eſſe, ut mas marem hirquatillet. Et licet Italica haec ſpurcities innoteſcere ſoleat Germaniae cum in ſcholis ex claſſicis auctoribus, tum ex itineribus huc & illuc factis: ſunt tamen caſus rariſſimi, horum criminum etiamnunc in patris. Siquidem CARPZOVIO fides habenda in praxi iurisprudentiae criminalis. Duobus abhinc luſtris uel polluere uel inficere inſtituerant hoc crimine nefando MARCHIAM peregrini duumuiri, homines multarum imaginum. Sed horruit talia populus, tantum abeſt, mores illius his naturae portentis corruptos fuiſſe ullatenus.

ſimum

ſimum ſit: *poenam hagenſtolziatus* uſitatam in *Brunſuicenſi* ducatu; *archipalatinatu Rheni; Haſſiae* tractu & in *Sueuiae* aliquibus coenobiis: illud omnino cauſas habet ſingulares; quare eius rei neque uſus neque memoria occurrat in prouinciis Germaniae aliis. Muti hic ſunt IVRIS SPECVLATORES SVEVVS & SAXO; qui uterque alias in huius generis ac ſortis legibus ſatis eſt diſertus. Mutae, his uetuſtiores longe, leges ueteris Germaniae LINDENBROGII; HEROLDI; PITHOEI. Neque in CAPITVLARIBVS regum FRANCORVM uel uola uel ueſtigium. Praeterea, in tantis DIPLOMATVM ac monumentorum numeris aeui uetuſtioris, quae uident quotidie lucem, inuenitur de his parum aut nihil. Quid? quod in huius ducatus TABVLARIO PRINCIPALI cum uniuerſim; tum ſigillatim in *diurnis forenſibus; protocollis; catalogis mulctarum* & *fiſci redituum* titulus aut ſyllaba nulla de *bonis hagenſtolziorum* hoc iure delatis uel principi uel iudici uel magiſtratui. Quod cum ita ſit; ponenda *hagenſtolziorum* haec poena extra orbitas & limites, feraciſſimae hominum, Germaniae. Qui autem in locis, ſupra commemoratis, illa fixerit ſedem? tribuendum illud uel *hominum propriorum* frequentiae uel *mortuariorum* rationibus uel horum cum hereditatibus *ingenuorum* commixtioni uel intempeſtiuae *Latii* adfectationi uel aduerſis *euangelicorum* ſtudiis in uota & dogmata pontificiorum de colendo *coelibatu* & *uirginitate* ſponſa CHRISTO & *diuis*. Quae omnia talia ſunt: quae digna magis glorioſa poenitentia, quam imitatione.

manorum in hagenſtolziatu. Vbi a) in uſu? b) ubi *exulet?* in LL. *antiquis.* *capitularibus.* *diplomatibus.* *tabulariis.* *fiſci* reditibus.

(31) In plerisque *Germaniae* prouinciis perpetuorum *tributorum* onere, ob militem perpetuum, annuatim cenſis, *tributa* imperari ac pendi ſolent de *rebus*, ad *uictum* & *cultum* neceſſariis, quae, noſtri ſeculi uer-

Ex *incolarum* numeris incrementa *acciſae.*

bo, dici ſolent *ciſiae* ſiue *acciſiae.* Quae duplicis deinde generis; *ruri* quidem, *die landſchafftsacciſe* atque in *urbibus, die acciſe in den ſtætten.* Hoc cum ita ſit, filum conſecutionis eſt manifeſtiſſimum: *quo plures homines,* qui uictu cultuque indigent; eo etiam *incrementa maiora* tributorum & aerarii. Quapropter intereſt reipublicae, eam eſſe populoſam & frequentem incolis & ciuibus. Atque ex hac eadem cauſa *coelibatus* & *orbitates* cauendae omnino & legibus interdicendae.

LL. HALLENSIVM ſalinatorum aduerſus HAGENSTOLZIOS.

(32) Eſt in *legibus ſalinatorum* huius urbis omnino interdictum: *ne ἄγαμος exerceat commercium ſalinarium, licet, ſi quid illius habet, aliis poſſit elocare, maritis, pro annua mercede.* HÆLLISCHE REGIM. ORDN. *artic. 32. §. 1. Auch ſolle niemand* PFANNWERKEN; *er ſey dann ein* 1) *bürger zu Halle,* 2) BEEHLIGET *oder* 3) *im* EHELIGEN *ſtande geweſen;* 4) beeignet *und* 5) beerbet *oder* hatt 6) *eigen* hauſs, küche, rauch. Et porro ibidem §. 3. *Wann einer, bey deſs vaters leben, pfannwercken will; iſt es an einem eigenem hauſs nicht genug: ſondern er muſs vorhero ſich in den* EHESTAND *begeben.* Cauſa additur *artic. 35. §. 7.* ubi *incolatus* requiritur a quouis *ſalinatore.* Ne ſcilicet reditibus ex ſalinis gaudeant illi, qui ſunt peregrini uiuuntque extra urbis moenia. Cum potius e re ſit publica: *nummos ibi expendere rurſus, pro uictu & cultu, ubi quis illos accepit.* Meminit *dn.* PRAESES, quod anno CIƆ IƆCC XXV. ſerio & ſaepius ea de re actum.

Conſtitutiones regales.

Nam *ſalinariis feudis* Halae *conuerſis in allodia;* ex indulgentia regali, in annui canonis compenſationem; quidam etiam hoc requiſiuerunt a principe: ne porro ſalinatores obſtricti eſſent inire MATRIMONIA; ſingularem colere *oeconomiam; habitare* in urbe; poſſidere *proprias* in

urbe

urbe *aedes*, cetera. Inde RESCRIPTVM REGALE, ſub & obreptitium ſatis, quod poſtea reſcitum: *omnes ab hoc onere immunes habendos principis officiales. Die Kœnigl.* BEDIENTEN *ſollten mit dieſer* REGIMENTSORDNVNG *diſsfalls weiter nicht beſchwehret werden.* Ex eo igitur *aedes* illi in urbe ſuas uendunt aliis nilque curant illius, quod *lege* olim *ſalinaria* cautum. Ipſi facile intelleximus: quam hoc noxium foret cum *reipublicae;* tum aerario *accisiarum* adeoque ipſi *principi.* Quo enim *populoſior Hala,* eo etiam plura ſolent conſumi, ad uictum & cultum neceſſaria, unde ſolui ac pendi debet *tributum, die acciſe.* Taceo *ciuium* inde damna, *opificum* praeſertim omnis generis, quorum operae rarius expetuntur conducunturque, ſi laboret ciuitas incolarum paucitate. Hinc, re maturius deinceps deliberata, reſcripſit AVGVSTVS: hanc immunitatem nemini, ne quidem *officialium* & adminiſtrorum ulli, dandam; niſi docuerit, ſibi eandem remiſſam CODICILLO REGIS ſingulari. Sic tuiti ſumus in moribus antiquis rempublicam; propugnata retentaque poena *hagenſtolzii ſalinatoris.*

(33) Erat enim haec poena, *lege* quoque Romana, ſtatuta in *coelibes;* ut *aes* ideo ſoluerent & deferrent in aerarium; de quo *differ. I. num. 2.* atque *differ. VI. num. 21.* Adpellarunt annuum hoc tributum, nomine peculiari, *aes uxorium;* den kunckelzehenden; den *hagenſtolzenzinſs.* Qui cenſus nihil habuit iniqui; quoniam *coelibes onera matrimonii* ſentiunt nulla, quibus officia coniugum ſunt conſtricta. Et, noſtro aeuo, cum *tributa* praeſtemus de illis rebus, quas uſu *conſumimus;* haud dubie minus pendit coelebs; quia os unicum non abſumit tantum; quantum deglubere ſolent plura, *uxor, ancilla, liberi,* quibus ſocietas herilis abſoluitur. **Annuus hagenſtolziorum CENSVS.**

 (34) Et-

Vicefimatio hagenſtolziorum.

(34) Etiam *Latii* hoc fuerat inſtitutum: *ut aerarium aut fiſcus,* quorum nominum diſcrimina ſuſtulere imperatores, rerum cupidi, *partem* VIGESIMAM *acciperet de omnibus* HEREDITARIIS *bonis; ſiquidem heredes eſſent* EXTRANEI. Octauius Auguſtus eius lucri auctor, ne adeo grauis eſſet ſubditis ad alendos milites ſtipendiis, uti auctores ſunt DIO & SVETONIVS in illius uita. Dici non poteſt; quanta annuatim pecuniae uis, per hunc alueum, delata ſit in aerarium. Quod pluribus deſcribunt BVRMANNVS *de uectig. c. 11.* & ante eum LIPSIVS *de magnitud. Rom. cap. 11.* pluresque alii. Et licet hoc tributi genus ſuſtulerit *Antoninus;* uidetur tamen illud fuiſſe aequiſſimum. Nam, cui *ſui* heredes defuerant fuerantque extranei, illi quaſi largiti fuerant de alieno. Neque illis aliquid damni illatum, quod negata decima pars commodi. Heredes enim nullos habere, illud fuerat probrum: non autem, de hereditate reddere aliquid reipublicae. Nam, moribus antiquis, defunctorum bona ad rempublicam redierunt, unde ad uiuos deuenerant. Et ſatis eſt fortunae mortalium; ſibi rem habere, quam diu indigueris illa, aut gaudere potueris utendo fruendoque.

SVCCESSORIA lex non ultra IV. gradum.

(35) Succeſſionis *infinitudinem* uetus LATIVM non agnouiſſe, plenius doceo ad *§. 5. Inſtit. de ſucceſſ. cognat.* Etiam LONGOBARDIS ultra IV. gradum olim nulla ſucceſſio, I. F. 10. Antiquiſſimo more hodieque POLONI ultra IIX. gradum nullum admittunt heredem ab inteſtato. Et CAROLVS IV. imperator in MAIESTATE CAROLINA, hoc eſt in *corpore legum,* quod BOHEMIS ſuis dedit, etiam uoluit promulgauitque hoc: *ne quis, ultra patrueles, heres eſſet ab inteſtato. Remotioribus excluſis, hereditas tum cederet fiſco.* Licet, quod ſupra *differ. III. num,*

Digitized by Google

num. 8. oſtendi, ueteris Germaniae moribus ſatis eſſet, ad capiendam hereditatem, ſi quis inueniretur eiusdem *nominis, clypei, teſſerae,* quoto etiam quoque a defuncto abeſſet gradu. Verum, *teſtamentis,* etiam Germaniae ſolennibus, non opus eſt, attendi porro remotiſſimas quasque *propinquitates.* Has enim ſi honorare uoluit defunctus, *ſcribere* aut *nominare* poterit in *tabulis* ultimis ſucceſſores.

(36) Erat ueteri Germaniae ita probroſum; *herede* carere uel ſcripto uel *propinquo;* ut illud crederetur tantum *ſeruile.* Vnde uulgi ſermo: hominem proprium, ob iura acquirendi, *liberum* eſſe, *uiuum:* ſed mortuum ſeruum fieri ideo, quoniam heredem accipiat *fiſcum* domini ac principis; non *propinquos.* Igitur acerrima haec iniuria, *hagenſtolzium* haberi in hoc ultimo genere. Tantum abeſt, temere hoc credendum, uixiſſe unquam his moribus Germanos. **Herede DESTITVTI ſerui tantum & *clientes.***

(37) Inſigne *diploma* eſt, quod e *tabulario* ſacri collegii exhibet ſummatim PFEFFINGERVS *ad Vitriar. lib. III. tit. 13.* uerbis, quae ſequuntur: EHELOS, teſte *diplomate* LOTHARII imperatoris ſub dato *Luniburc.* an. 1135. non. kal. *Octobr.* Annoni coenobii noſtri MICHAELITANI *Archimandritae* ſcripto, quod integrum in *abbatiae* noſtrae ſcriniis adhuc extat, ubi: *Si quis mortuus fuerit de his, qui* ELOS *dicuntur, de* BONIS *eius* DVAS *partes* ABBAS, *tertiam* ADVOCATVS *accipiat.* Vtinam illud integrum nobis dediſſet doctus & induſtrius auctor. Quoniam ex illo plurima intelliguntur. *Principio* eſt illud maximi pretii ob uetuſtatem. Cum non extet uetuſtius adhuc. Deinde, pro *hagenſtolziis* habetur hic ſynonymum illius *ehlos,* id eſt, extra connubium agens; ut excludantur **Heredes *coelibum der* EHELOSEN an. 1135.**

dantur orbi & improles. Tum haud dubie imperator de illorum hic diſponit hereditate, qui *glebae* adſcripti, ideſt, homines *proprii* iſtius *abbatiae*. Qui alias audiunt *Gotteshauſsleute; Peterleute; Cloſterleute.* Vbi diſtribuit hereditaria bona in tres partes adſignatque *abbati* duas, qui omnem forte requiſiuerat hereditatis ſubſtantiam & aduocato *unam tertiam*, ceu domino iurisdictionis. Eſt enim hoc in medio aeuo teſtatiſſimum: *iurisdictionis cauſa deberi iudici, cenſuum percipiendorum* TERTIAM. Quapropter ſermone medii aeui; *tertiari*, hoc idem eſt, quam iurisdictionem pati. Intellexi hoc, poſt alia plura, EX ACTIS NORIBERGENSIBVS inter BVRGGRAVIOS atque CIVITATEM. Illis enim pariter TERTIA fera in ſyluis; tertia cenſuum aliorum generum pars adſignata in urbe; quod eorundem addicta eſſent potentatui cum urbs, tum illius uicinia. Vnde praeterea patet illud; heredem *hagenſtolzii* ſiue *ehloſii* eſſe non *principem;* ſed *dominum, magiſtratum, iudicem. Tandem* poſſe etiam *ehlos* uerbum de *uiduitate* accipi, quoniam & illos dicere ſolemus in uernacula, *ledige perſonen.* Nam de *orbo coniuge* non poterat hic requiri, quoniam *coniugum,* more Germanico, cum bonorum *communio,* tum *ſucceſſio* & *hereditas.*

INFANTIA Iſtor. LATII in GERMANIA.

(38) Vti *iuris Romani* interpretum glaucomata, commenta; errores ſubtraxit, depulit detexitque *hiſtoria Romana*, cuius ſtudioſi & periti *iureconſulti* Romanam iurisprudentiam colluſtrauerunt nouo quodam lumine; ut, *Baldiſtarum* & *Bulgariſtarum* tenebris diſcuſſis, illa adpareret, quaſi tum demum nata eſſe uideretur: ſic eadem fata exercent *Germanica iura* hodieque. Dum enim *Latii pandectiſtae* moribus & *legibus*

Digitized by Google

bus patriae adfingunt *aenigmata* peregrina; eo ipſo produnt ſuam in ciuitate propria ignorantiam; non alia ratione prodendam & confutandam, quam *medii aeui* notitia. In hanc enim dum impingunt, indolem *Germaniae* aeſtimando & exigendo ad normam *Romanam* peregrinam, facile eſt rerum Germaniae gnaro aeſtimatori, ad deprehendendum lapſus & reducendum dogmata in uias, tritas noſtris maioribus. Neque ideo decedit aliquid Latii iureconſulto; ſi in rebus ille noſtris ceſpitet. Nam permanet CVIACIVS in *Latio* heros; licet in iurisprudentia barbara *Longobardica* & pontificum *canonibus* & *decretis*, mulieret prorſus agaturque aenigmatibus & commentis. Nemo igitur uitio mihi uertet; quod, ſtudio *Germaniae antiquitatum*, hoc aduerſus *hagenſtolzios* idolum, e templo patriae themidos eiecerim, dimouerim, exturbauerim & proſcripſerim: morum integritate, felici ſidere, reducta & reſtituta Germaniae.

POLITICVM COROLLARE.

Num expediat *reipublicae, compeſcere* HAGENSTOLZIOS POENA *annuoque* CENSV?

FAteor, hoc PROBLEMA difficile eſſe reſponſu ac definitu. Cum rationes non deſint in utramque partem; quas audiemus, *In PROBLEMATE argumenta a) negantium*

G

primum. mus. *Principio* illud eſt ualde noxium, connubia imperari. Cum nequeat cogi animus ad amandum & coactus amor non ſincerus
alterum. ſit; uerum ſimulatus & falſus. *Praeſertim* hodie illud diſſuadeat ſeculum; ubi matrimonia colimus indimiſſibilia & perpetui nexus, rumpendi ac finiendi nonniſi morte. Contra paganis facile fuit in connubio etiam parum feliciter contracto, ſibi conſulere poenitentia
tertium. & diuortio. *Deinde*, uti non omnes capiunt uerbum & uota coelibatus; ſic etiam thlibiis & thlaſſis mulierum non amor, ſed horror eſt. Quos fruſtra iuſſeris hirquitallire & mu-
